



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

De Ervditione Religiosorum

Humbertus <de Romanis>

Ingolstadii, 1591

VD16 H 5888

22. De via illuminatiua secundum diuinum Dionysium.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-50980](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-50980)

lachrymis conscientiam tuam : ac ponens in corde tuo confiteri, si quid notabile repereris. Et attende istum modum examinandi praedictum quem ideo protraximus, vt in confessione peccatorum tuorum tibi seruiat. Non enim oportet te tam prolixè semper post completorium examinare; praecipuè si in tui custodia per uigil fueris : quin potius breuiter te examinans quomodo diem illum expenderis, debes postulare tibi veniam à Deo, dicens generalem confessionem, & Psalmum, De profundis, pro negligentijs. Et hinc transibis ad morosam & diligentem diuinorum beneficiorum considerationem. In qua recordatione diuinis fulgoribus illustraberis, cumq; te illustrari cognoueris, ignito affectu gratias age. Et vt plenius & perfectius Dei beneficia recolere valeas, per ferias ea describere volui, vt in sequentibus apparebit.

DE VIA ILLUMINATIVA SECUNDUM diuum Dionysium.

CAPVT XXII.

Purgata & tersa ad modum speculi conscientia vt supra diximus, tunc iam fit aptior & capacior diuini amoris, vt possit se transferre ad viam illuminatiuam, in qua incipit animam suam dilectum cognoscere : in quem propter rubiginem peccatorum suorum aspicere non poterat. Tunc autem anima se interrogat dicens : Quisnam est dilectus meus ? Et ipsa respondet sibi dicens : Ille qui tot & tanta mihi contulit bona : à cuius si possibile foret laudibus

bus nunquam cessare deberem, sed ei semper gratias referre. Hanc viam illuminatiuam habuit Propheta cum in Psalmo dicebat: *Benedic anima mea Domino: & omnia quæ intra me sunt nomini sancto eius.* Est tamen considerandum quòd non debemus principaliter Deum diligere propter eius beneficia, sed propter suam immensam bonitatem, & propter seipsum. Nam quemadmodum res non videtur propter lumen, tanquam propter finem, sed tanquam medium per quod clarius videtur, sic via illuminatiua appellatur illuminatiua, quia accendit, provocat, & illuminat hominem ad dilectionem Dei. Deinde dicit Bernardus: *Tot bona contulit mihi Deus, quòd si ea attenderem, & si vnus rusticus mihi ea præstitisset, eum diligerem.* Quid igitur rependam summo amatori de suis beneficijs? Reuera gratias referam & equamdiu potero recolere non lassabor. Et ne discurras per diuersas materias, & valeas morosius diuina considerare beneficia, repetenda sunt hic quæ diximus in directorio in meditationibus primæ, & tertiæ.

DE MODO, QUÆM PER OMNES hebdomadae ferias ad animæ irradiationem religiosam debet habere in diuinorum beneficiorum recognitione, & pro eis gratiarum actione, secundum viam illuminatiuam.

C A P V T XXIII.

Feria secunda post completorium diligenter consideranda